



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 2. Rationes & lepida historia contra pœnam talionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

metuens in sua familia primus voluit cremari, ne, quod Mario fecerat, ipse quoque pateretur. Plinium audi: *Ipsam cremare, apud Romanos non fuit veteris instituti: terrâ condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc institutum. Et tamen multa familia priscos seruare ritum: sicut in Cornelia nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus. Idq̄, voluisse, veritum TALIONEM eruto C. Marij cadanere. Ita quidem talio propriè accipitur; extendi tamen etiam potest in bonam partem, vt talio vocetur, quando bonum simili bono compensatur, seu quæcumque retributio, siue boni, siue mali, tamen veteres strictè vindictam intellexerunt per talionem.*

Plin. lib.
7. c. 54.

§. II.

Rationes & lepida historia contra pœnam talionis.

Hanc talionis legem (vti & alias leges decemuirales, quas decemviri eius rei gratiâ à populo creati composuerunt in duodecim tabulas) philosophus Fauorinus, apud A. Gellium, his verbis & argumentis impugnat. *Nonnulla in istis legibus nec consistere quidem, sicut dixi, visa sunt, velut illa lex TALIONIS: cuius verba, nisi memoria me fallit, hæc sunt:*

Aul. Gellius lib.
20. Noct.
cap. 1.

sunt: Si. MEMBRUM. RUPIT. NI. CVM. EO. PACIT. TALIO ESTO, prater enim vlciscendi acerbitatem: ne procedere quoq; exsequutio iusta talionis potest. Nam cui membrum ab alio ruptum est: si ipsi itidem rumpere per talionem velit, quaso an efficere possit rumpendi pariter membri equilibrium. in qua re ea primùm difficultas est inexplicabilis. Quid si quis membrum, inquit, alteri imprudens ruperit? quod enim per imprudentiam factum est, retaliari per imprudentiam debet: ictus quippe fortuitus & consuetus non cadunt sub eiusdem talionis similitudinem. Quoniam igitur modo imprudentem poterit imitari, qui in exsequenda talione non licentia jus habet, sed imprudentia? sed & si prudens ruperit, nequaquam patietur, aut aliùs se laedi, aut laius, quod cuiusmodi librâ atq; mensurâ cauere possit, non reperio. Quin & iam si quid plus erit, aliterne commissum: res fiet ridicule atrocitatis, et contraria actio mutue talionis oriatur, & adolescat infinita quadâ reciprocatio talionum. His Favorini argumentis addi potest historia, an fabula, quæ perspicuè ostendit, damnum casu illatum, sæpe non nisi incertum, & maiore periculo reponi posse. Homo vnus aliquis de pago, in vrbe bono foro vsus, liberalius vino sese ingurgita-

gurgita-

gurgitavit. Baccho plenus conuiuere coepit; neq;, sensu & ratione sopitis, locum, in quo biberat, mutauit. Itaque propter fenestram confidens vertigine & sopore perturbatus, dum nescio quid somniaret, ita exterritus est vehementer, vt exiliret, & per fenestrâ præceps in publicum, laberetur. Dixisses, Astyanactem de turri præcipitatum, tanto pondere cecidit, somno, vinoque & multo adipe obesus rusticus. Felicitas illius, alterius infortunium fuit. Eo enim ipso tempore alius in platea, iuxta eandem domû, & parietem transiens, nec quidquam minus, quàm ruina suspicans à ruente oppressus est pagano, adhuc ronchos ducente, & vix tandem excitato à confluente hominum turba, quæ casu, aut morientis clamore excitata, è vicinis vndique ædibus sese effuderat. Re intellectâ, cadauer sub tecta, rusticus in carcerem trahitur. Ibi postquam edormiuit crapulam, dies ei dicta est. Constituta die, apud iudicem se sistit reus, & actor. Narratur casus. non negat rusticus. Ibi ergo Causidicus patentem facundiæ suæ campum nactus; *Quid argumenta querimus?* (exclamat) *habemus fatentem reum, non negat facinum, homicida est, occidit; occidatur. lege talionis,*

lionis, quod fecit, ferat. Mors morte luenda est. Neq³ quisquam dicat, vini id flagitium fuisse. Non vini, sed vinolenti culpa occisus est miser. Ebrius fecit? quid tum? non excusat, sed duplicat crimen, qui crudelitatem pariter accusat, & ebrietatem. Crudeliter enim sitit, quisquis non bibit, sine exitio & interitu alterius. Bibat quantum volet, qui nemini nocet in ebrietate; soli Deo reddet rationem. Ast quisquis potando & se perdit, & alios potando iam facit, quod potus est patraturus. Luat ergo, quod patrauit temulentus homicida. Nam occisi uxor & liberi nihilo sunt feliciores, quod vel maritus, vel pater illorum interemptus sit ab ebrio, quam à sobrio. Quamquam tam immane est crimen, ut sobrius non fecisset. Crapula igitur in causa est, crapula scelus est, per quod & uxor coniuge, & liberi spoliati sunt parente. Hi, ô iudex, à te petunt, ut secundùm jus & æquum sententiam pronunties; hi postulant vindictam, hi poscunt, ut lege talionis, par pari referatur. Dixit. Auditâ hac accusatione, iudex iussit, & rusticum perorare causam. Is, nulla re excusata, in compendio retulit: Quando ego tam reus sum, ô Domine iudex, non defugio, neq³ detrecto subire, quod iste petit. Ut ergo par pari referatur; inebriet se etiam iste, atq³ ad meum modum,

in

in eadem fenestra obdormiat, meq; inibi transeuntem desuper cadens obruat. Quam conditionem & talionem, cum acceptare nollet actor, potiusque occisum inultum censeret relinquendum, quam tantò vitam suam, proscribendam, totum iudicium desijt in cachinnos. Hæc talia cum ijs, quæ Favorinus disputavit, obijci possunt contra legem talionis.

§. III.

Sex. Cæcilius quid responderit ad ea, quæ Favorinus contra legem talionis obiecerat?

Ad quæ Sex. Cæcilius in disciplina juris atque legibus populi Romani noscendis interpretandisque, scientia, usu, auctoritateq; illustri, amplexus utraq; manu Favorinum, præter cætera, sic respondit: Maiores nostri quibusdam iniurijs talionem quoque apposuerunt, quam quidem tu talionem, vir optime, iniquius paulò insectatus es: ac ne consistere quidem dixisti, lepida quâdam solertia verborum: quoniam talioni par non sit talio: neque rumpi membrum facile possit ad alterius ruptura (ut ais tu) æquilibrium. Verum est, mi Favorine, talionem ratissimam fieri difficillimè. Sed decemviri minuere atq; extinguere volentes huiusmodi violentiam pulsandi atque ledendi,